



# Sammelband og

Index locorum in hoc volumine  
explicatum.

- nr. 29 Pj. LXXXIV.  
4. Math. II. 17. 18.  
38 Luc. I. 78.  
10 Act. XIII. 32. 33.  
20 Eph. V. 29.  
18 Col. I. 34.  
11 Col. II. 14. 15.  
23 Cor. XIII. 2.  
36 1 Petr. III. 18.  
38 2 Petr. I. 19.  
6 Jud. 9.  
38 Apoc. XXII. 16.

DE

# HOMINIBVS ΙΣΑΓΓΕΛΟΙΣ

ISANGA LOIS

PROGRAMMA

DIE S. MICHAELIS FESTO

A. R. S. M D C C L X

IN

ACADEMIA IULIA CAROLINA

P. P

---

HELMSTADII

EXSCRIBEBAT SCHNORRIA VIDVA

DE

# HOMINIBVS IZALLEVOIZ

PROGRAMMA

## DIE S. MICHAELIS ESTO

A. M. D. C. O. E. Z.  
pones enim intelligens, si pacem cum Deo habere volonus;  
qui finis non aliud bona posset esse praefrantur, id a-  
vendum sit, ut diuini Christi inveniantur, vera fide  
et pietas, et conscientia, et puritas, et castitatem, et  
modestiam, et pacem, et concordiam, et amorem fratrum.

ACADEMIA ITALIA CAROLINA

HELMSTADII

ACADEMIA CAROLINA

ACADEMIAE

IVLIAE CAROLINAE

PRORECTOR ET SENATVS

CIVIBVS SVIS STUDIOYSIS

**S**ollemini hoc S MICHAELIS die anniuersario  
Vos, Cives optimi, pro eo, quo flagramus, salu-  
tis Veftrae studio, scriptio ne publica ad angelo-  
rum sacrorum imitationem adhortari solemus.  
Quanti haec nostra admonitio sit momenti, non igno-  
rabunt, qui, quae horum spirituum indoles sit ac natu-  
ra, rite perspiciunt. Cui si nos, nostramque conditio-  
nem conformarnus, tum demum desiderabilis illa oritur  
*ἰωαγγελία*, angelorum similitudo. Agite igitur, Cives,  
vt studium Veftrum incitemus, temporis scriptio nis que  
opportunitate vñi, quae de illa *ἰωαγγελίᾳ* in mentem ve-  
niunt, paucis ita prolibabimus, plura hac de re cognoscendi cupidis vt viam, qua ad maiora itur, pandamus.  
Quam huic festo diei debetis, meditatione Vef-  
stra dignius sane vix inueniri potuisset argumentum,  
cum in hac angelorum similitudine insignis felicitatis no-  
stra et temporariae et aeternae pars sit posita. Quae-  
nam vero res melius atque utilius in nostram venit

A 2

confi-

considerationem, quam quae de consequenda agit felicitate?

Quod si vero de bonum ~~isagogicis~~ nobis sermo futurus est, tractationis et ordo et lumen exigunt, statim ut in scripturae limine istam, quae philosophis profanis iam innotuit, ~~isagogicis~~ ab illa distinguamus, quam diuinior nos doctrina docet, nobisque commendat. Videlis iam, Lectores, filum, quo in hac commentatione vos ducere, animus est.

Vix opus esse videtur, vt, angelos priscis philosophis iam notos fuisse, moneam, quos vel *daemonas*, vel *genios*, vel *intelligentias* adpellarunt, immo neque ipsum *angelorum* nomen illis incognitum mansisse. Sed quaeritur hoc loco, vnde haec angelorum doctrina veteribus innotuerit, ex rationis principiis cum hauriri nequeat? Sunt, qui illam ad *HOSTANEM*, celebrem Persarum magum, referunt. Ita apud *MINVCIVM FELICEM* Octauius: *Primus Hostanes - angelos i. e. ministros et nuntios dei, eiusque venerationi nouit assidere.*<sup>i</sup> Aliad ad *ZOROASTREM*, *ORPHEVM*, Aegyptios, vel Phryges huius disciplinae ortum pertinere arbitrantur. *PLVTARCHVS*, magnus ille veterum philosophorum magis interpres, quam ipse philosophus, hac de re ita sentit: Εμοὶ δὲ δοξάστι πλείονας λέγουσι μεῖζονς ἀποστασίας, οἱ τὸ τῶν δαιμονῶν γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, καὶ τῷπον τινὰ τὴν κοινωνίαν ὑμῶν συνάγον εἰς ταῦτα καὶ συνάπτον ἐξευδόντες· εἴτε μάργον τῶν τε περὶ Ζω-  
ρούσην ὁ λόγος ἔτις ἐσιν, εἴτε Θεάνιος ἀπὸ Ορφέως, εἴτε Αἰγυπτίος, ή Φούρος, οὐς τεκμαριζόμεθα τοῦς ἐκτείσθι τελετεῖς αἰαμε-  
μηγένες πρός ταῦτα καὶ πένθιμά τινα τῶν ὄργιαζομένων καὶ διωμένων λεῦκης ἔσωντες, mibi tamen plures ac difficultiores dubi-  
tationes videntur soluisse, qui genitorum s. *daemonum* genus  
medio inter deos et homines loco constituerunt, et quod nos  
cum his quodam modo conciliat, atque coniungit, inuenierunt.

Sive

<sup>i</sup> Cap. XXVI. n. 10. edit. CELLARII p. 99. 100.

Sive haec magorum ac Zoroastris doctrina est, sive Tbraci-  
ca ab Orpbo profecta, sive Aegyptiorum, aut Phrygum,  
ut colligimus ex vtrorunque sacrificiis, orgiis et ritibus sa-  
cerorum, multa admixta funebria et lugubria cernentes.<sup>2</sup> Alii  
denique THALETI, PYTHAGORAEQUE huius doctrinæ  
initia deberi censem. De THALETE, Ionicae sectæ  
conditore, atque ex septem Graeciae sapientibus, ita  
ATHENAGORAS: Primus Thales (sicut illi memorant,  
qui exactiore diligentia sententias eius digesserunt) divisa-  
nem instituit in deos, in daemones, in heroes.<sup>3</sup> Verum re-  
tius his omnibus VOSSIUS: id a primis Noacibidis per ma-  
nus traditum, et præfertim a conditoribus suis plurimas  
gentes accepisse, sic ut Moabitæ (quorum bac dñe opinionem  
etiam historiæ Bileam, ne populo Isaelitico in istorum gra-  
tiam malediceret, ab angelo prohibiti, confirmaverit) atque  
Ammonitae illud a Lotbo, angelorum ductu Sodomorum ca-  
sus exempto, Ismaelite ex Hagara, cui angelus aquam reſi-  
ciendo filio, siti ferme enecato, indicauerat, alii aliunde  
baſerint.<sup>4</sup> Certe, quae Platonici Alexandrini, teste  
IAMBILICO, de angelorum certis ordinibus recentius  
disputarunt, ea non ex philosophia solum Aegyptiaca et  
Orientali, in quam ex originibus Iudaicis irreperserant,  
depromiserunt, sed in his quoque Christianos sunt immi-  
rati.<sup>5</sup>

Praemonuisse quoque iuuabit, qualem philosophi  
veteres daemonibus significationem subiecerint. Daemo-  
nas dixerunt naturas deos inter, mortalesque medias.  
Sic PLATONI πάντα δαιμόνιον μεταξύ εἰσι τῷ θεῷ τα καὶ Συντόνη  
omnis natura daemonum inter mortales, deoque εἴπερ

A 3

<sup>2</sup> De Oracul. defessu. Xyl. T. II. <sup>4</sup> De Orig. et Progr. Idololatr.

p. 415. A. L. I. c. 6.

<sup>3</sup> Urat. pro Christian. p. 244. <sup>5</sup> Vid. cel. BRUCKERI Hist.

Crit. Philos. T. II. p. 441.

media: 6 et PLVTARCHVS τὸ τῶν δαιμόνων γένες ἐν μέσῳ θεῶν καὶ αὐθεότων daemonum genus medio inter deos et homines loco constituit. 7 In vocabuli etymologiam inquiens, censet PLATO: daemones ex sententia HESIODI vocatos quasi δαιμόνοις prudentes, scientes in vetusta lingua Graecorum eo nomine nuncupatos. 8 Idem in Epinom. Μετέχοντα δὲ Φερνήστεως θευματεῖς, αὐτε γένες ὅντα εἴμαθες τε καὶ μημόνες, γνωστεῖν μὲν ἔμπασαν τὴν ἡμετέραν αὐτῷ διάχορον λέγοντες prudentiae mirabilis participes sunt, acuto quippe ingenio, tenacique memoria, cogitationes nostras omnes cognoscunt. 9 PLVTARCHVS insuper auctor est, et PLATONEM ET PYTHAGORAM ET KENOCRATEM ET CHRYSIPPVM priscorum theologorum imitatione, genios hominibus robustiores, et potentia nostram naturam longe superare, docuisse. 10 Δαιμόνοις, δαιμονίδεσ igitur omne illud dixerunt, quod naturam humanam, hominisque vires transcendit. 11

Duplex daemonum esse genus praeterea statuebant, bonorum et malorum. Ita enim CLEMENS ALEXANDRINVS: Phocylides τὰς ἀγγέλους δαιμόνους καλῶν, τὰς μὲν εὖς οὐγέθες αυτῶν τὰς μὲν Φαύλους διὸ τέτον παρεῖσησεν angelos vocans daemones alios quidem ex his esse bonos, alios vero esse malos, ostendit. 12 PLVTARCHVS quoque, Homericum appellatione a daemonibus promiscue viri de bonis et malis, quod genii mixti, et inaequali sunt natura ac voluntate praediti. 13 Quicquemque igitur aduersa accidebant, praesertim si solito maiora illa erant, ea daemonibus tributabantur.

6 In Coniis. p. 327. edit. FRAN. cof. 1682.

7 De Or. Def. p. 415.

8 In Cratyle p. 274. Δαιμ., disce, doceor, scio. Δαιμόνος doctus,

gnarus, peritus. Αδαιμόνιος, im-

peritus, nondocetus.

9 Pag. 1011. A.

10 In Libro de Iside et Ophide p. 360. D.

11 Fusius hoc probat IO. JAC.

VVETSTEÑIVS N. Test. Gr. Tom. I. p. 279.

12 Strōmat. Libr. V. p. 444.

13 L. c. de Ifid.

bant. Ex eodem PLUTARCHI loco hoc probatur, quod et Hectorem Ajax, et Iunonem Jupiter, vituperandi gratia, daemonis similem appellant, et daemonis in morem irruere in hostem Achilles dicitur. Hinc adeo est, quod Plato cœlestibus diis dextra et imperia; horum aduersa daemonibus adscribit. Xenocrates etiam nefastos dies, et ferias, in quibus verbera, planctus, ieiunia, maii omnis voces, aut oscena dicta usurpantur, neque deorum conuenire venerationi, neque bonorum daemonum censet, sed esse quasdam in aere naturas, magnas et validas, easdemque tetricas et morosas, qui ipsis delecentur rebus, et consecutae a maleficio abstineant. Nihil igitur miramur, quod graui morbo succumbentes, quem a daemonibus malis similiter profectum putabant, daemoniacos dixere. 14 Quae si curatius perpendissent, qui nostris temporibus a diabolo ~~conuictus~~ obsecros sibi fingunt, (quorum exemplum in LOHMANIA, rustica formosa, se vidisse, fallacia optica sibi persuasit Kembergensis Praepositus, quem s. v. SEMPERVS super ad veri sensum reduxit 15) non tam faciles in cito tando et relegando diabolo fuissent.

Ex his, quae haec tenus a nobis disputata sunt, intelligi iam poterit, quo iure defunctorum animos, bonos que viros post hanc vitam daemonas, daemoniumque miles dixerint. Communis haec fuit poetarum, pythagoreorum et platoniorum, aliorumque philosophorum sententia, quam uberiori, iam explicabimus. PLUTARCVS ALEXANDER, inquit, καὶ οὐρανὸς τέος πεντάδες διαφέρεις θεοί, εἴδοτε ναὶ ἀνθρώποις, καὶ θεοῖς αὖτε εἰγετος iam Homerum animaduertimus insigniter bonos viros

14 Conf. VVETSTENIVS I.c. et  
IQAN. LIGHTFOOTVS, qui  
in Hor. Hebr. et Talmud. in  
Euang. Lucae c. XIII, II. p.  
826 scribit: *Vides ergo, quod  
morbos aut plagas infligi per*

*idem  
daemonium, erat opinio genti  
Iudaicæ recipiissima.*  
15 In der Abfertigung der neuen  
Geister und alten Brüder. Hol-  
le 1700. 8.

VIII

*identidem appellare deorum similes, diis aequales et consiliis  
superum instructos. 16 Aurei saeculi, purioris nempe istius,  
integriorisque, homines ita describit HESIODVS:*

Aύτας ἐπεὶ κεν τέτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε,  
Τελ μὲν δαιμόνες είσι, Διός μεγάλες διὰ βράχου.  
Verum postquam hoc genus terra abscondit,  
Ii quidem daemones facti sunt, Iouis magni consilio. 17  
Ipse PYTHAGORAS, vel quicumque ex Pythagoricis e-  
ius pracepta ligato sermone edidit, in aurorum carmi-  
num sine ira canit: 18

"Ἡ δὲ ἀπολέψις τοῦτα εἰς αἰώνα ἐλεύθερον ἔλασι,  
Ἐσσεις σωτῆρας θεός, ἀμερός, ἵνα ἐτί θυτός  
Quod si vero, relicto corpore, ad aethera liberum  
veneris,  
Eris immortalis deus, incorruptibilis; nec amplius  
morti obnoxius.

**Quomodo vero haec PYTHAGORAE verba sint intelligenda, HIEROCLES, qui saeculo VI Alexandriæ syncrétisticam Ammonianam philosophiam profitebarus, docet: Τές ἐν τοῖς θείοις γένεσι συντεταγμένες αὐθεόπως σέβειν δὲ λόγος παρεκάλει, τες ΙΣΟΔΑΙΜΟΝΑΣ καὶ ΙΣΑΓΓΕΛΟΥΣ καὶ τοῖς ἀγανάκτηστοι φύσεις eos vero, qui diuino generi coordinati sunt, homines venerari, sententia praecepit, DAEMONVM, ANGE**

16. In libro de *Iude et Ofrido* p.  
260. Ex ipso HOMERO haec  
facili opera fuisse comprobari  
posseunt, nisi huius loci angu-  
stia prohiberemur. Ut vero  
HOMERVM, philosophiae ae-  
que atque humanitatis veteris,  
qui omnis eruditio antiquae  
fonte, studio legentibus di-  
ctiorum fidem faciamus, loco  
euoluant *Iliad.* A. v. 264. vbi  
natur *Hos* quoniam *aequalim* deo  
*Polyphemum*, quem *DIDYMI*

*exōdōs explicant iōtēsor vid. e-  
dit. SCHREVELIANA Am-  
stel. 1656. 4. et v. 265. Θεοτα r  
Διάδημ τινέντων ἀπόντων The-  
σευμάτῳ Aegidem, similem in-  
mortaliibus inuenient nec non I-  
liad. A. v. 428. vbi *Socius iōtēsor* φί-  
des simis vir appellatur. Pla-  
res diligens poetarum princi-  
pis lectio facile suppeditabitur.*

17 Oper. et Dier. vers. 120, 121.  
18 v. A. C: v. 70, 71.

18. 11. 19. 20. 21. 22. 23.

LORVM et praeclarorum beroum similes. 19 Notent sibi velim, Lectores, hoc loco voculam *ἰσαγγέλος*, ex qua apparet, ne hoc quidem vocabulum, diuinum spiritum, geniumue denotans, eius temporis philosophis profanis fuisse ignotum. Licet enim TANAQVIL FABER illud ipsis christianis temporibus antiquius putet, 20 neque ad ARISTIDEM tantum prouocet, qui Mineruam angelis omnibus maiorem dixit, sed ad ipsum quoque PLATONEM, apud quem Δίκης Νέμετος ἄγγελος *Indicij angelus Nemesis* esse dicitur: quod voluit, tamen non probat. Aristides enim audiendus non est, qui post seruatoris demum nati vixit tempora: Platonis vero locus angeli vocabulo non alia significatione vtitur, quam ministri s. nuntii, idque vult, iudicij diuini sententiam vindictam exsequi, et crimina punire. Cum aliis igitur eruditissimis viris, IS. CASAVONO, et THOM. GATAKERO statuimus, Neo Platonicos a Iudeis et Christianis hoc nomen accepisse, id quod LAREONIS aliorumque auctoritate apud AVGUSTINVM constat. 21 Nam qui ex SENECAE, Stoici celeberrimi, epistola de Epicuri angelo citatur locus, desperatus LIPSIUS, GRONOVIO intactus. 22 Apud PLATONEM ipse Socrates λέγει ἐν, εἰτ, καλῶς καὶ ἔτος καὶ ἄλλοι ποιηταὶ πολλοὶ, ἄστοι λέγοντι, οὐ ἐπεδάν τις οἰγαθός ὁ τελευτής, μεγάλη μοῖραν καὶ τιμὴν ἔχει, καὶ γινεται δάίμων quam ob rem et is (Heliodus) et ceteri poetae permulti praeclaræ loquuntur, quicumque aiunt videlicet, postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem praemiumque fortior, fitque daemon. 23 Idem ex PLATONIS doctrina Neoplatonici docuerunt. IAMBLICHVS, ex cuius scriptis indeles et summa philosophiae Alexandrinae optime disci-

19 In Comeniar. in Aur. Curn. 21 De Civit. dei L. IX. c. 19.

p. 40.

22 Epist. XX.

20 Epist. L. I. Ep. 63. p. 214.

23 In Cratyle p. 274.

discitur, animas εν αγγελον τοις ιδευμένας in angelorum ordine collocatas dicit, 24 et alibi de anima, caelesti luce illustrata ἐπι μετονά τε τοῖς την αγγελικὴν ἀνάγεται, ὅτε δὲ οὐκέτι τοῖς της φυσικῆς ἔργοις αναμένει, τὸ δὲ ὄλον τέτο εἰς αγγελικὴν Ψυχὴν καὶ ἀνθεγόνων τελείσται ψυχὴν in ordinem præstantiorem angelicum euehitur. Tunc vero non amplius animas finibus continetur, sed id omne in angelicam animam et purissimam vitam tendit. 25 Ita Trismegistus apud APULEIUM, Platonicum clarissimum: quo munere credis esse munerandum (eum nempe, qui dei opera, ut decet, considerat, obseruantque) nisi eo, quo parentes nostri munerati sunt, quo et nos quoque munerari, si fuerit diuinæ pietati complacatum, optamus piissimis votis, i. e. ut emeritos atque exutos diuina custodia, nexibus mortalibus absolutos, naturae superioris partes i. e. diuinæ, puros, sanctosque restituat. 26 Ecclesiasticae scholae alter parens, et Platonicon Alexanderinorum princeps, PLOTINVS ex Platonis doctrina de centro, ad quod animas omnes se conferre deceat, loquens, Φέρεται δὲ αἱ θεῶν αἱ πρὸς ἑαυτούς Φερόμενας θεοί εἰσιν. Σέος γραφή τῷ ἐνείκῳ συνημμένον feruntur autem illuc deorum animae semper, et idcirco dii sunt, quoniam feruntur ad illud: deus enim est, quicquid est illi coniunctum. 27 Et ex eiusdem Platonis dogmate APULEIVS: nam vinculis liberata corporeis sapientis anima remigrat ad deos, et pro merito vitae purius, castiusque transactae hoc ipso deorum se conditioni conciliat. 28 CICERO, qui mediae Academiae adhaerebat, mortis commoda laudans, tantum autem abest, inquit, ab eo, ut malum mors sit ut verear, ne homini nihil non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius: siquidem vel dii ipsi, vel cum diis futuri sumus. 29 Huc quoque

24 De Mysteriis Sect. II. c. 6. p. 48.

27 Ennead. VI. 9. 8.

25 c. II. p. 40.

28 APULEIVS de dogm. Platon.

26 APULEII Herm. Trismeg.

p. 40.

27 Tusc. Quæst. I. 31.

p. 64.

que facit CLEMENTIS ALEXANDRINI obseruatio: mihi autem videntur poetae quoque electos appellare θεοιδέας i. e. deiformes, et δίαις i. e. θείαις et ἀνθράκες h. e. deo aequalis, et διὶ μῆτρι αἰταλάντες h. e. consilio Ioui pares, et θεός εὐαληγος μήδε ἔχοντες h. e. quorum similis prudentia diuis, et θεοπελέας i. e. deo similes. 30

Quas haec tenus quasi per saturam exquisiuimus, veterum sententiae non animorum in angelos mutationem, sed eximiam dumtaxat similitudinem probant, quae ex iliorum mente in eo futura erat, ut defunctorum animi ad maius lumen, maioresque vires eucherentur. Vberiorum hanc ac pleniorum nexus rerum cognitionem, quae simul cum maiori agendi potentia connexa sit, δαιμόνιον quid, immo δαιμόνια vocabant, cum id omne, quod naturam hominis in hac vita excedit, ita vocare consuevissent. Praesertim vero, cum huius vitae homines craffiori corpore induitos esse cognoscerent, ex quo sensuum et phantasiae obscuritas et confusio ortum suum traheret, quo daemones carent: ista ἡρόδαιμονια indicabant, sapientum animas post hanc vitam istis sensuum et phantasias tenebris fore liberatas, neque sensuum et phantasiae imperio amplius subesse, sed distincta gaudere rerum cognitione. Hac deo, daemonibusque fieri similes, in quos intuitiuam tantum cadat cognitio. Hinc mortem philosophicam s. animi ab omni corporis commercio liberationem illis commendabant, qui in hac vita ad istam intuitiuam rerum cognitionem adspirare volebant. Haec in eo posita erat, ut animum a corporeorum et impurorum affectuum, cupiditatum et voluptatum commercio abstractum, seiuictum, et solutum in dei contemplatione figentes, virtutis studium omni contentione prosequerentur. Praecepérunt igitur, ut a doloribus, ira, metu, cupiditate cibi et potus, rerumque venerearum prorsus sit liber, ac

B 2

30 Siromat. L. III. sub fin.

studeat, ut ratio omnibus his adfectibus imperet, qui huius cognitionis voluerit esse particeps. Itaque cum post mortem ab omni corporis commercio animus plane sit liberatus, illum daemonum similem dixere. 31 Fuisse tamen quosdam, praesertim inter Iudeos et Pythagorico Platonicos, qui veram eiusmodi transmutationem sibi finxerint, non negamus. Recentiorum enim Iudeorum daemonologia ex philosophia orientali male intellecta ortum suum traxerat. 32 Huius rei locuples erit testis PHILo Alexandrinus, qui syncretismo philosophiae Pythagorico Platonicae orientali doctrinae et Mosaicae quoque legi attemperatae, maxime captus est. Is de Abraham: καὶ γὰρ Ἀβραὰμ, ἐκπιὼν τὰ ἔντα, προσίθεται τῷ τῷ θεῷ λαῷ, καπέμενος ἀρθαγέιαν, οὐς ἀγρέλοις γενάμενος· ἀγρέλοις γὰρ σεατός εἰσι θεοί, ἀσώματοι καὶ εὐδαιμόνες Φυχαὶ Abraham enim, relictis mortalibus, adnumeratur dei populo, fruens immortalitate, angelorum similis factus: angeli enim sunt dei exercitus, incorporei, et felices animae. 33 Falluntur quoque, qui hanc animarum a corpore separatarum φυχαὶ in eo ponendam esse arbitrantur, ut vniuersae naturae cognitione philosophica gaudent. 34 Nituntur enim ista omnia scholae Pythagorico Platonicae errore, in condenda rerum natura angelos ad formandas creaturas adhibitos, vnde ad peritiam illorum physicam consideritur. 35

De φυχαὶ vero philosophica ista sufficiant. Progrediamur potius ad illam angelorum similitudinem,

quam

31 Vid. GYRALDI de Sepult. Lib. p. III. edit. Helmst. 1676.

4. RVD' GOCLENIVS in Quæst Eth. Q. I. p. 227. LVD'

VIVES in Adnot. ad Lib.

VIII. Augst. de Ciu dei c. II.

p. 719. et BRVCKERI H' C' P' F'

P. T. I. p. 714.

32 Vid s' v SEMLERVS libro cit. p. 211.

33 De Abel. et Caino T. I. p. 164.

27.

34 Vid. Acta Philos. Vol. I. p.

758.

35 V. BRVCKERI H' C' P' F'

I. p. 50. 51.

quam nos sanctior docet doctrina. Quae cum vniuersitatem angelorum theoriam luculentius, vberius ac plenius proponat: homines quoque angelis similes nobis ob occulos ponit. Duplex vero in sacris litteris hominum *isayyeha* commendatur, altera quae in hac vita obtinetur, altera quae post hanc vitam speranda est. Utramque iam strictim explicabimus.

Quod si sanctior disciplina de hominum *isayyeha*, quae huius est vitae, praecepit, non quamcumque significat similitudinem, quae necessaria, naturalis et quasi essentialis est; haec enim cum necessario iam adsit, obtineri non amplius potest: sed fortuitam quamdam atque aduentitiam, quae ab actionibus nostris liberis penderit. Illa vero conspicitur, si, natura sua homines multas cum angelis communes habere proprietates, cogitamus. Angeli, hominesque per se subsistunt, seu, ut cum philosophis loquamur, sunt substantiae, eaeque intelligentiae ac voluntate praeditae. Angeli aequi atque homines omnibus instructi sunt et facultatibus et viribus, quibus spiritus gaudet. Non nisi gradibus differenti, usque non essentialibus, qui diuersum res percipiendi modum efficiunt, sed accidentalibus, qui maiorem tantum eiusdem-modi intensiōnem inuoluunt. Cumque et angeli et homines a deo, huius vniuersi opifice, sint conditi, eas quoque proprietates participant, quae rebus creatis sunt communes. Sed cum de hac similitudine sermo huius loci non sit, plures proprietates ipsis similes inquirendi labore supercedemus. Ad istam portius accedimus *isayyeha*, cuius in sacris litteris fit mentio, quam supra fortuitam diximus atque aduentitiam. Haec cum ab actionibus nostris liberis pendeat, quae bonae malaue sunt: duplex inde oritur *isayyeha* vel bonorum vel malorum angelorum.

## XIII

Hanc exprobrat diuus PAULLVS Ephesii: 'Εν αἷς  
(εἰμασται;) ποτὲ περιεπανίσατε κατὰ τὸν αἰώνα τὸ κόσμον τέτε  
ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ ΤΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΟΥ ΑΕΡΟΣ,  
τῷ πνεύματος τῷ νῦν ἐνεργῶντος ἐν τοῖς νοῖς τῆς ὀπεράθείας in  
quibus peccatis aliquando versati estis, ut est huius mundi  
vita, ad principis aereae potestatis similitudinem, videlicet  
spiritus, qui nunc in contumacibus vigeat hominibus. 36  
Quid enim ista locutio κατὰ τὸν ἀεροντα τὴν ἔξοδον τὸν δέρος  
περιπατεῖν aliud significat, quam prauis actionibus se ac-  
reae potestatis principi conformare. Quis vero iste ἀε-  
χών τὴν ἔξοδον τὸν δέρος, iste princeps potentissimus aeris? 37  
Idem scilicet ille, quem ipse IESVS ἀεροντα τὸν κόσμον τέτε  
huius mundi principem appellat, 37 diabolus, qui est κο-  
μόντων τὸν σκότον τὸν αἰώνος τέτε in huius mundi tenebris  
imperans. 38 Cui idem PAULLVS εξετινά τὸν σκότον tene-  
brarum potestatem tribuit, 39 quemque deus σειεῖς ζόφε-  
ταισεώντας παρέδονεν εἰς κέλεων τηρέμενον in tartarearum te-  
nebrarum catenas præcipitatum conicit ad iudicium custo-  
diendum. 40 'Ἄερα saepius caliginem s. aera tenebrosum  
significare, variis auctorum locis confirmari posset, nisi  
ab aliis hoc iam factum esset: 41 ita ut adferre opus  
non sit, Paullum loqui ex principiis philosophiacæ Py-  
thagoreæ, quibus illi, ad quos scribit, imbuti erant, et  
quae immenso volitantia numina mundo statuebat, vt  
VVETSTENIUS ad h. l. fecit. Id potius indicatur, tene-  
brarum i. e. ignorantiae, errorum, dubiorum et praec-  
conceptarum opinionum ope diabolum in hominibus  
contumacibus operari, qui in suac carnis cupiditatibus  
faciunt, quae vult caro, i. e. crassiora vitia, scortationis,  
adulterii et vinolentiae, et cū diabolis cogitationes s. sub-  
missas  
36 Ephes. II, 2. 37 Io. XII, 31. 38 Ephel. VI, 12. 39 Col. I, 13.  
40 2 Petr. II, 4. 41 V. S. V. HAUVERI. Bibl. Mag. P. XIII, p. 73.

PT 1 p. 74.

8

tiliora illa vicia, quae sunt magis *ἐν τῷ θυμοειδῖ*, et prius ad virtutes videntur accedere. Cumque omnis animi caligo a sensibus et phantasia oriatur, quorum abusum diabolus primus, homines ad lapsum perducens, effecit: qui ex ista sensuum et phantasiae caligine agunt, ex eius voluntate vivunt, atque adeo in illos moraliter influit.

Quod si ipse diabolus prauorum hominum parens dicitur, hique ipsius filii, quis non similitudinem intelligit, quae patrem semper intercedit et filium? Ita autem CHRISTVS de contumacibus Iudeis: *ὑμεῖς ποιέτε τὰ ἔργα τῆς πατρὸς ὑμῶν vos opera patris vestri facitis.* 42 Et *ὑμεῖς, ὃ ἐνοχάσατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιέτε vos, quod didicistis a patre vestro, facitis:* 43 et cum alium sibi patrem vindicarent, quam quem CHRISTVS intelligebat, apertius illum declarat: *ὑμεῖς ἐν πατρὸς τῇ διαβελόᾳ ἔστε, καὶ τὰς ἐπιδραμάς τῇ πατρὶς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν vos ex patre diabolo estis, patrisque vestri libidinibus libenter obtemperatis.* 44 Filios vero diaboli istos Iudeos dicit Christus, quia operibus diaboli, qui *ἀνθεωρούσες ἦσαν ἀρχῆς, καὶ φεύγουσι πατήσαι τῇ φύσει homicida ab initio, mendax, mendacissime pater,* Christum interficiendi studio, et mendaciis suis, se deum habere patrem, se conformabant. Quicumque igitur opera sua angelorum malorum occupationibus assimulant, quae ex sacris litteris hic redeunt, ut tam erga deum nefandas gerant inimicitiias, ipsius opera turbando, laborandoque in delectatione et honore ipsius, si qua fieri possit, imminuendo, quem tamen iniuti premouent, quam hominibus noceant, ad communis malitia, miseriaeque societatem illos sollicitando, et conciliatam ipsis gratiam dei, communis domini; omnibus modis impediendo: illi *καργημένοι ὑπὸ διαβελόᾳ εἰς τὸ ἐκένω Στήνα*

42 Io. VIII, 41.

43 vers. 38.

44 vers. 44.

## XVI

*ληνα capti a diabolo ad eius arbitrium, 45 ipsique similes facti sunt.*

Sed missa hac diaboli consertione, quae, quo est pro dolor frequentior, eo maiori nobis vitanda est studio, ad istam progredimur *ισαγγελεαν*, qua bonis angelis in hac vita conformamur. Haec vero tum demum obtinetur, si illorum sapientiam, prudentiam, erga deum obsequium, eiusque non interruptam venerationem, aliisque inseruendi studium ut exprimamus, vitaque nostra referamus; operam adhibemus. Cumque angeli, corpore crassiore destituti, non tam sensibus et phantasia turbentur, quam homines, sensibus et phantasiae obtemperantes; sed potius intelligentia sua rite vtantur, illaque voluntatem electant: ad *ισαγγελεαν* ascendunt huius saeculi homines, qui ad cognitionem adspirant, quae vel nihil vel parum admixtum haber, quo sensus et phantasia, inepte sedula, mentem turbet. Quo magis igitur in sensuum, phantasiaeque suppressione progredimur, quoque intelligentia nostra sit purior, vi obscuritatis vel confusionis nihil admisceatur: eo maior nostra est *ισαγγελεα*. Sacrae igitur litterae, ut carnem i. e. sensus, ab hisque pendentes mentis perturbationes, libidines et cupiditates nostras coerceamus, praecipiunt. Nam οἱ τὲ χειρὶς τὴν σάρκα *ἰσαγγελεαν* οὐν τοῖς πεθημένοι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις qui sunt Christi, ii carnem vna cum libidinibus et cupiditatibus cruci fixerunt. 46 His igitur virtutibus vel iam instructi, vel sedulam illis nauantes operam, angelorum similes diuntur. Ita mulier Theciana clementiam, mansuetudinem, sapientiam ac prudentiam regis laudatura, dixit: 47 *בְּמַלְאָךְ דָּאֵרֶת* *כִּי אֲרֹנְךָ תְּפִלָּה* *סִicut angelus dei, sic est dominus meus rex.* Similiter Mephibosethus, Sauli nepos, Davidi regi *בְּאַדְנָךְ כְּפָלָה בְּאַדְנָךְ* *dominus meus rex*.

45 2 Tim. II, 26.

46 Gal. V, 24.

47 2 Sam. XIII, 17.

*rex est quasi diuinus quidam angelus*, 48 diuina quadam prudentia praeditus. Et vates, domus dauidicae pietatem et potentiam vaticinaturus, dicit: 49 erit sicut angelus domini in conspectu eorum. Qui in concilio sedebant, vbi STEPHANVS causam Christi agebat, contuentes in eum, viderunt eius faciem, *qualis est angelii facies ωτε πρόσωπον ἀγγέλου*, non poterant enim sapientiae et spiritui, quo loquebatur, resistere. 50 Iudei, frontem serenam et hilarem significaturi, hac pharsi vntur. Sic ESTERA, Ahasueri regis comitatem describens, eius inquit, facies erat, ut angeli facies. Voluptas enim, hilaritas et sempiterna felicitas praemia sunt virtutis angelicae. Quid quod ipse Christus, precari nos docens, ad angelorum similitudinem nos quasi excitat. Cum enim precari nos iubet: γενηθήτω τὸ θελημά σου, ώς εἰς οὐρανούντι τὴν γῆν φιλούντας τυπούντας ut in caelo sic et in terra, 51 vult, ut angelorum exemplum in exequenda dei voluntate imitemur. Ab his enim dei voluntas in caelo sit, ut DAVIDES docet: collaudate dominum omnis eius exercitus, eius ministri, eius facientes voluntatem. 52 Ita quoque in CLEMENTIS Constitutionibus ὅπος ώς αἱ ἐπαρχίαι φύσεις τῶν ἀστωμάτων δυνάμεις τὰς δοξάσου τὸν Θεόν αὐτοφόνος, ὅποι νοῦ τῆς γῆς πάντες οἱ ἀνθρώποι εἰν τῷ σώματι καὶ μὲν διαθέτει δοξάσωσε τὸν μόνον Θεόν ut, quemadmodum cœlestes naturae incorporearum potestatum omnes celebrant deum concorditer, ita et terrestres homines omnes uno ore vnoque ad festu collaudent solum deum. 53

Restat, ut istam denique hominum λαογέτειν, quae post hanc vitam futura est, strictim perlustremus. Perducimur ad illam Seruatoris orationem, ad Sadducaeorum quendam habita, qui ipsum interrogauerat, in resurrectione:

48 2 Sam. XIX, 27.

51 Matth. VI, 10.

49 Zach. XII, 8.

52 Pf. CLI, 22.

50 Act. VI, 15.

53 L. II. c. 56.

## XVIII

ctione cuius ex septem fratribus, quibus femina eadem nupsisset, vxor futura illa esset? Huic respondit: huius virae homines et ducunt vxores, et nubunt, at, quibus vitam illam adsequi, et ex mortuis surrexisse contigit, ii nec ducunt vxores, nec nubunt, quippe quum iam mori nequeant, ισάγγελοι γὰρ εἰσι, καὶ νίοι εἰσι τῷ Θεῷ, τῆς ἀναστάσεως οὐτὲς sunt enim angelorum similes et dei filii sunt, qui sunt resurrectionis filii: 54 quae verba MATTHAEVS ita proponit ὡς ἄγγελοι τῇ θεῷ εἰναι εἰσι, 55 et MARCUS ἀλλεῖσθν ὡς ἄγγελοι εἰ εἰν τοῖς ἀγανθοῖς. 56 Quod si verum horum verborum sensum inuestigare voluerimus, ex ipsis loquentis mente ille eruendus erit. Disputabat optimus noster Seruator contra Sadducaeos, qui, quoniam non posse spiritum sine corporis vestimento esse, sibi persuadebant, animi durationem post mortem negabant, eumque vna mori cum corpore statuebant. Hinc neque mortuorum resurrectionem, neque angelorum existentiam admittebant. His igitur perniciosissimis erroribus, porissimum vero, quo mortuorum resurrectione negatur, ut obuiam irer, docet eos, qui ex mortuis resurrexerint, non amplius mori posse, cum sint angelorum similes. Videmus ergo, qua in re angelorum hanc similitudinem ponat optimus Seruator, in immortalitate scilicet, quae vi angelis, tamquam dei filiis, ut in f. litteris appellantur, 57 competit, ita et hominibus iis, qui sunt resurrectionis filii, atque adeo immortales dei filii. Filii vero resurrectionis, qui buius saeculi filiis f. hominibus in hoc mundo adhuc versantibus, opponuntur, 58 beatae resurrectionis participes significant. Resurrectio enim hoc loco pro resurrectione ad vitam aeternam, atque adeo significatione angustiore sumitur. 59 Ex qua immortalitate deinde concludit, eos, qui resurrexerint, in angelorum

54 Luc. XX, 36.

58 vers. 34.

55 Matth. XXII, 30.

59 v. SAL' CLASSI' Philol.

56 Marc. XII, 25.

Sacr. gr. p. m. 657. edit. 1743.

57 Iob. I, 6. XXXVIII, 7.

et rh. p. 1904.

forum modum neque uxores ducere, neque nubere, cum matrimonium ab immortali vita dissideat, angelisque neque exercitium venereum competat, nec appetitio talis, multo minus propagandi generis vel necessitas vel facultas infit. Ex illis, quae ex summi doctoris mente de beatorum ἵραγγελίᾳ haec tenus dicta sunt, apparet igitur, istam potissimum ad beatorum corpora pertinere, quae post resurrectionem non erunt ψυχητὰ animalia i. e. legibus motuum naturalibus subiecta, hinc grauia, cibo ac potu indigentia, infirma, mutabilita, corruptioni subiecta, partibus genitalibus instructa, sed πνευματικά spirituata i. e. non ipsi spiritus, quod corporis naturae reprobatur, neque spiritus attributis praedita, quae sunt cogitare et velle, sed quae legibus motus non subiiciuntur, dei vero immediata operatione nouis proprietatibus instruta sunt, ut sint immortalia, valida, potentia, mobilia, splendida, optimisque sensuum instrumentis ornata. 60 Habetur ergo maximam similitudinem cum angelorum corporibus subtilissimis, quae ita comparata sunt, necesse est. Quod si angusti huius programmatis limites id permitterent, pluribus hoc loco demonstrari posset, sententiam, qua iam veteres philosophi, plures ecclesiae patres, et maximorum theologorum multi, angelos corporibus induros esse, crediderunt, ex his verbis novum robur lucrari. Sed viam monstrasse sufficiat. Poterit quoque ex his dijudicari BERNH' CONNORI sententia, qui omne sexus discriminem in vita beata negabat. 61 Quis sententias GROTIUS fauet his verbis: *Neque ego video, quam certis nitatur rationibus, quod quidam volunt, etiam in illo saeculo manifestum fore discrimen sexuum. Videri enim potest, id discrimen pars esse τῆς ἀσθετικῆς, quae tunc erit στatura. Inmo species omnis ac figura τῷ Φθαρτῷ obuelanda videtur ἐνδύματι τῆς ἀφθαστος. Atqui τῷ Φθαρτῷ apertum indicium τῷ γεννητικὸν. Veterum sane non pauci arbitrati sunt*

60 1 Cor. XV, 44.

61 In Evangel. Medici p. 104.

unt, non futurum tum ἀρέσει ἔτει θηλα, ut Hilarius. Theodoretus quoque huius loci, qui nunc est prae manibus, auctoritate sequens, demonstrat, in angelis non esse sexuum discriminationem: quae ad homines τοιχύεται videntur eadem ratione posse aptari. 62 Licet vero τοιχύεται hanc potissimum in immortalitate hominum post resurrectionem ponat Christus: non tamen reliquam caelicolarum angelorumque similitudinem excludit. Qui quo maiores sapientiae, sanctitatis, felicitatis et summae voluptatis faciunt progressus, eo angelis euadunt similiores. Cumque dulcissima cum angelis conuersatione gaudeant, 63 idemque cum illis munus obeant, sempiternae dei celebrationis, 64 quis non maximam hominum beatorum τοιχύεται fatebitur.

Sed plura de illa scriptoris vetat angustia: praesertim cum futurae vitae luculentior haec cognitio sit reseruata, quae beatissima hac luce nos perfunder. Vos, carissimi Ciues, ita res Vestrarum semper agite, ad hanc bonorum angelorum similitudinem in dies ut proprius accedatis, donec tandem ad perfectam beatorum τοιχύεται serius ocius perueniatis. Caeutatis Vobis sedulo ab eiusmodi operibus, quae Vos malorum angelorum similes reddunt. Bonorum imitemini virtutes, Vosque illorum praesidio numquam reddatis indignos. Celebrate hunc diem Michaelis festum pia religione, deo gratias agentes, qui bonos angelos nobis ministros dederit, ipsique supplicantes, ut malorum angelorum quosuis conatus irritos efficiat. Rogate exercituum et caelestium et terrestrium dominum, terris suis pacem ut redatur, nosque omnes angelorum suorum praefidio sartos rectosque conferuerit. P. P. in Academia Iulia

Carolina d. IIII. Cal. Octobr. A. R. S.

M D C C L X

62 In Critic. Sacr. Angl. Tom. 64. Pl. CXXVI, 2. 3. 5. Ap. III, 3  
III, ad loc. Matth. XXII, 30. 10. V, 8.  
63 Hebr. XII, 22.

153883  
X 2286633 ✓

ULB Halle  
007 138 997

3



ND 18

R



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE

MIAS

VS ΙΣΑΓΓΕΛΟΙΣ

ISANGELOS

OGRAMMA

CHAELIS FESTO

S. M D C C L X

IN

IVLIA CAROLINA

P. P

HELMSTADII

AT SCHNORRIA VIDVA